



Universitätsbibliothek Paderborn

Meditationes De Præcipvis Fidei Nostræ Mysteriis

Vitæ ac Passionis D.N. Iesv Christi; Et B.V. Mariæ; Sanctorumq[ue] et
Euangeliorum occurrentium Cum Orationis Mentalis circa eadem praxi In
sex partes tributæ

Qvae Meditationes Complectitvr circa omnia Christi Domini Acta, ab eius
Baptismo ad finem vsque Prædictionis, Doctrinam, Miracula, Parabolas

Puente, Luis de la

Coloniae, 1612

14. De Meditatione circa precatatione[m] Dominica[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54633)

culmen obtineatur, eas assequi contendendo;
 in Ro. 12. 2. & studendo, ut idem moriet, in probare & exequi
 qui Dei voluntatem bonam, beneplacentem, & perfectam. & hac ratione perfectus euadam.
 in 1. Ioh. 2. 5. Nam, ut S. Ioannes ait; n qui seruat verbum eius
 O Ro. 13. 10. IESV Christi, verè in hoc charitas Dei perfecta
 S. Tho. 2. 2. est, ac tota porro Christiana perfectio: o plenitudo enim legis, ait Apost. est dilectio.

MEDITATIO XIV.
 CIRCA PRECATIONEM
 Dominicam.

S. Tho. 2. 2.
 q. 83. a. 9.
 Mat. 6. 9.
 Luc. 11. 2.

In hoc sermone montis docuit etiam Christus Dominus discipulos suos Orationem, quam Dominicam appellamus: quæ inter omnes orationes præcipuum merito locum propterea obtinet, quod à supremo orandi Magistro, & ut nos doceret coelestem patrem orare, fuerit instituta. Quam obrem singula eius verba meditando expèdemus, iuxta modum circa verba orandi, in 1. partis Introd. §. 9. positum.

CONTINUVS ergò in Dei Trin. & vnius còspectu, ad quæ oratio hæc dirigitur (quanuis ad singulas Trinit. personas dirigi etiam possit) Christo Domino humiliter supplicabo, ut cœlesti suo lumine animam meam illustrare; & amoris sui igne accèdere dignetur: ut veritates & excellèntias spirituales, quas breui hac oratione còplexus est, sentiã; & rectè ea perere attingam,

tingā, quæ ipse peti à se voluit. Et intētionis magna puritate, ac feruētī deuotionis affectu, ei simili, quem ipse habuit dū eam docens Patrem alloqueretur: fas enim est credere, sic eū Apostolos orare docuisse, vt simul eandem ipse Patrem orare: nec eandem quotidie in nobis oraret cessat. Vt enim S. Augustinus ait, Christus Dominus pro nobis orat vt Sacerdos; sed in nobis etiā orat, vt caput nostrum, spiritum nobis & orandi virtutē infundens: ideoque nos *dicimus cum illo, hanc orationem & ille nobiscum*: nostraque oratio eius orationis meritis coniungi debet, vt exaudiatur, & feliciter expediatur.

*Prefat. in
psal. 85.*

OBSERVANDVM est tamen, bis Christum Dominum hanc precationem docuisse: Primum omnes in monte publicè: Deindè cū ipse orandi finem fecisset, & vnus discipulorum ei dixisset: a *Domine, doce nos orare, sicut docuit & Ioannes discipulos suos*. Ex quo discimus, hanc orandi formulam & publicè & priuatim seruari posse. cū publicè fit, sicut in sacro Missæ, ea breuitate percurri debet, quam locus ille exigit; cū verò priuatim, & tanquam orationis mentalis argumentum accipitur, plures etiam horæ in ea consumi possunt: & Christo Domino dicere licet: *Domine doce me orare*, non eo solūmodo, quo docuit Ioannes discipulos suos, sed sicut tuos ipse docuisti Apostolos, cordi meo eas veritates, sensusque & affectus imprimens, quos illis communicasti. Qua breui petitione peracta,

a *LUCA II. I.*

unicum tantum eius orationis verbum accipiam, cuius significata ratiocinatione perquiram, & profunda meditatione expendam, eos adiungens affectus, petitiones & colloquia, quæ ei, quod expendero, aut quod domini spiritus suggererit, sint conformia.

P A T E R.

- I. PRIMVM eos titulos & nomina perpendam, ob quæ DEVS & Dominus noster, sit etiam noster Pater. *Primum* enim est omnium hominum Pater titulo creationis, ipse enim omnibus dedit ut essent, dum ad suam eos imaginem & similitudinem condidit: Est verò Pater iustorum, ob gratiæ esse, quod illis impertiens, adoptiuos suos filios, Regniq; cœlestis hæredes constituit: Estq; millies hac ratiõe eorum Pater, quia quoties excellentissimum illud esse quod in Baptismo acceperunt, illi peccando amittunt; paratus ipse est pœnitentibus restituere. Et hac ratione eupit ipse omnium esse Pater, non suæ, sed nostræ utilitatis causa: non ob nostra merita, sed solâ suâ gratiâ & misericordiâ. & quamuis ita gratis sese, ut noster sit Pater, offerat; non tamen paruo illi stetit, ut esset; ut qui, ingentibus in cruce toleratis doloribus, nos genuerit: offerens naturalis Dei filius vitam suam, ut gigneret adoptiuos; & eundem omnes Patrem haberent.

EX omnibus his considerationibus magnos hauriam laudis affectus, gloriam Deo pro singulis deferendo titulis, in quibus fundatur, quod meus sit Pater. O PATER amantissime, gratias tibi ago ob nobilissimum Esse gratiæ, quod filijs tuis tribuis, nunquam defatigationem sentiens in eodem reparando, quotiescunq; illi suis peccatis illud of-
fufcant. O vos Angeli qui DEVM in coelis Patrem habetis; laudes ei, gloriamque tribuite, quod etiam hominum in terra viuentium Pater esse dignatur.

CONSIDERA deinde, quàm exactè DEVS Patris officium expleat, dum tene-
rè adeò nos amat, sollicitam de nobis curam gerit, prouidentiam suam nos protegit, abunde sustentat, & in eo statu collocat, qui nostræ saluti magis conuenit; adeoque in his omnibus excellit, vt nullus parentum terrenorum ad ipsum coelestem comparatus, Patris nomine sit dignus. & ideò nobis ipse Christus prohibuit: *b Patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim Pater vester, qui in coelis est.*

O Supreme Pater, quas tibi gratias agam, quod Patris officium erga me suscipere dignaris? Nolo amplius Patres vocare terrenos, qui me facillè deserere consueverunt: *c Pater enim meus & mater mea dereliquerunt me: Sed te solum coelestem vocabo Patrem, qui assumpsisti me, nec nisi à me priùs desertus, me desereres. O Pater esto*

II

*b Matt. 23.**c Psal. 26. 10*

esto

esto mihi Pater : Et monstra te mihi Patrem esse, nomen istud quod in mei gratiam accepisti, re ipsa adimplendo.

III.

PERPENDAM tertio, eo ipso quod DEVS, Pater mihi esse vult, offerre mihi filij sui dignitatem; ac porrò exigere à me, boni filij erga parentem officium & partes; vt ipsum videlicet amem, colam, obediam, eiusq; zelem honorem & gloriam. O cœlestis Pater, vnde tantum mihi bonum, vt vilis adeo creatura tua, tuus tamen vocer filius! Quæ te *charitas* permouit, vt mancipium vilissimum, tuū *discipulū nominari, & esse volueris.* Qui igitur Patris partes à deo exactè erga me suscipis, adiua Pater, vt boni filij partes fideliter erga te expleam. O vermis vilissime, cave à filij Dei dignitate degeneres, indignum quippiam talis patris filio committens. stude potius ei similis esse in vita, decet enim filios parentibus suis esse similes.

IV.

VITIMÒ causas expendam, ob quas voluerit DEVS in hac precatone Pater à nobis appellari. *Prima* enim fuit, vt amoris & fiducie in eum affectus in nobis excitaremus: sic enim orantibus dabit, quæ hîc petimus. *Deinde*, vt ab eius rei laudibus orationem auspicaremur, quam ipsi plurimi facit, & de qua gloriatur, gloriam ei dantes, quòd Pater noster esse velit: idemque nobis honestus sit titulus & pretextus vt, quòd petimus, impetremus. *Tertio*, quòd intelligamus, velle ipsum sibi à nobis filiorum spiritu affectuque serui: ac pro

pterea

pterea quicquid petierimus, tale esse debere, ut à tam bono patre bonum filium petiisse deceat. O Pater supreme, certus sum, daturum te mihi quicquid ut filius petiero; qui iubes peti, ut à vero Patre.

N O S T E R.

CIRCA verbum hoc perpendam, cur Dominus noster noluerit ut diceremus: Pater mi; sed NOSTER. *Primum* enim id fecit, ut infinitam eius charitatem & liberalitatem agnosceremus: quæ in eo emicat, quòd cum non possit nisi unicum habere naturalem filium, plurimos voluerit adoptiuos habere, adeo excellentem hanc dignitatem ita hominibus & Angelis conferens, ut ea singuli possint absque alterius detrimento gaudere: ita enim est omnium Pater, ut æquè sit meus, atque si meus tantum esset, nec aliorum. Sit æternum benedicta, charitas à deo immensa, ut in tanta filiorum numerositate, tantam omnium curam gerat; atque si unicus esset, & solus.

DEINDE voluit nos docere, sicut ipse multorum filiorum est Pater, ita nos omnes fratres esse debere, ut ex hoc ad proximorum etiam amorem excitaremur, pro omnibus postulantes, & optantes, omnes nemine cõtempo, huius Patris esse filios; siquidem dives & pauper; nobilis & ignobilis: sapiens & idiotæ, æquè possunt unius cœlestis Patris esse filij, iuxta illam Malachiæ sententiam: e *Nunquid* *Malac. 2.*
non pater vnus omnium nostrum? nunquid non 10.

Deus

Deus vnus creauit nos? quare ergo despicit vnusquisque nostrum fratrem suum? O Pater noster, sufficit mihi scire, te hominum esse Patrem, vt eos tanquam fratres amem: omnes amore complectar, siquidem omnes tua complectitur charitas.

- III. DENIQUE voluit sui in nobis reuerentiam excitare. Verbum siquidem *Pater mi*, magnæ est indulgentiæ, magisque vnigenæ diuini huius Patris proprium: quem tamen cum amore & reuerentia simul necesse est alloqui. Quod tamen non impedit, quò minus seorsim & in cubili meo *Pater mi* dicere liceat: siquidem tam est nunc meus, atque si nullum, nisi me, filium adoptiuum haberet:

QVI ES IN COELIS.

- CONSIDERANDVM hîc, cùm DEVS in omni sit loco, cur solum dixerit. *Qui es in cœlis?* Primùm enim, locum illum expressit, vt nos ad reuerentiam excitaret, considerantem supremi huius Patris dignitatem, qui cœlorum sit Dominus, & in eis regnet. Deinde, vt cor meum à terrenis ad cœlestia erigeret, & quæcunque sunt hic contemnens, ad cœlestem hæreditatem, quam cœlestis Pater noster paratam habet, suspirarem. Tertio, vt in mortali hac vita tanquam aduena & peregrinus degam; sed simul vt cœli candidatus, qui cœlestem puritatem, sine qua

qua eo non peruenitur, habere contendam.

Demum ac præcipuè, vt in oratione ipsa *f oculos & spiritum ad coelum & montes eleuem, vnde veniet auxilium mihi, & bona quæcunque peto. O Pater, qui in coelis habitas, deduc me istuc, vbi commoraris, & dum non perducis, adiuua me gratiâ tuâ, vt omnis g conuersatio mea in coelis sit, & eorum, quæ in terra sunt obliuiscar. O anima mea, quæ in terra hac es peregrina, siquidem Pater tuus & hæreditas tua est in coelo: suspira ad eius domum peruenire, vt tanta eius fruaris hæreditate.*

TANDEM perpendam etiam iustos, in quibus *DEVS* per gratiam suam inhabitat, coelos appellari; ac eorum hîc mentionem, vt intelligamus: Deum eorum præcipuè esse parentem, qui verè eius sunt coeli: & vt qui orat, omnem culpam terrenaque omnia à se ableget, fiatque cælum, in quo *DEVS* possit habitare: ac seipsum colligat, & ad sua interiora se recipiat: ibique suam coram patre suo, qui in cordis ipsius abscondito manet, orationem effundat.

O vtinam coelum essem clarum, & virtutibus exornatum, in quo *DEVS* inhabitare sibi complaceret. Fateor, Deus meus, hominem me esse de terra terrenum, sicut Adami terreni filium: sed opto tamen, gratiâ tuâ fieri coelum, & homo coelestis, sicut coelestis

Adami

IV.

f *Psal. 120.1*

g *Phil. 3.20.*

V.

S. Aug. de serm. Dom. in monte cap. 9.

S. Ambros. lib. 5. de Sacram. c. 4.

Adam filius. Veni Domine ad seruum hunc tuum, nam præsentiâ tuâ cœlum efficietur. Tria prædicta verba, præambulum quoddam sunt huius orationis: in subsequentibus continentur septem Petitiones, quas oratio ipsa complectitur.

SANCTIFICETVR NOMEN
tuum.

Petitio I.

I.

h Isai. 6. 3.
i Apoc. 4. 8.

PRIMA hac Petitione hoc petitur, vt ipse DEVS agnoscat, laudetur, & glorificetur ab omnibus, nomenque eius venerationi sit, adoretur, sanctumque habeatur. Perpendendo tamen verba singula seorsim, expendam Primo: cur potius SANCTIFICETVR dixerit, quàm *Glorificetur* aut *Laudetur*: Causa enim est, quòd nihil æquè Deus æstimet, atque Sanctus esse: ac nulla propterea illi maior gloria deferri potest, quàm si Sanctus habeatur; & Seraphinorum, Sanctorumque illorum quatuor animalium Apocalipseos more Sanctus, Sanctus Sanctus Dominus Deus exercituum, Deus omnipotens, qui est & qui erat, & qui venturus est, magno affectu proclametur. O Pater sanctissime, ex animo gaudeo ob sanctitatem quam polles; opto que vt te filij tui in ea imitentur. Tandem & ego omnibus præferre volo, vt tu implens mandata, Sanctus sim, sicut tu Sanctus es.

II.

DEINDE considerabo, cur potius NOMEN sanctificetur, quàm *Maiestas* tua aut *potentia* dixerit? Causa enim fuit, quòd quicquid de

Deo

Deo agnoscimus, & quicquid quod ipse sit
compellationem apud nos habet, id totum in
veneratione esse, gloriosum ac sanctum ha-
beri, sit æquissimum. O Pater cælestis, quo-
modocunque te compellem, sanctus tu es: &
idèd cupio sanctitatem tuam ab omnibus ag-
nosci Diceris Omnipotens, Sapiens, Creator,
Gubernator, Dominus, Pater: sanctificetur
ergò omnipotentia tua, sapientia, & ab om-
nibus habeatur sancta. O Creator sancte, Gu-
bernator sancte, & Pater sancte: omnia no-
mina tua sancta sunt: estque iustum omnes
flectere genua sua, ac Deitatis tuæ nomen sta-
tim atque audierint, adorare ac venerari:
quia dignissimum est, quod nominetur, sum-
maque veneratione ob sanctitatem suam ab
omnibus audiatur.

TERTIÒ vocem TVVM perpendam, atque si
diceret: sanctificetur nomen *tuum* non meum:
Tu enim *solus sanctus* per essentiam: nec alius
est, qui diuinum sanctitatis honorem merea-
tur, nisi tu, à quo & per quem Iusti sanctitatis
vestigium aliquod hauriunt. *k Non nobis De-*
mine, non nobis sed nomini tuo da gloriam: non
nostrum sed TVVM dulcissimum nomen glo-
rificetur: Tibi enim I Regi seculorum immor-
tali, inuisibili, soli Deo honor debetur & gloria
in secula seculorum. m Nobis autem confu-
sio magna faciei nostra & contemptus. Eru-
besco, Deus meus, & Saluator meus ob a-
nimi mei elationem: qua nomen meum appe-
to dilatari, & toti mundo innotescere, & ab

III.

*k Psal. 113. 9**li. Ti. 1. 17.**m Bar. 1. 15.**Dan. 9. 7.*

III. Part. Medit.

N

omni-

omnibus æstimari, qui tamen vituperari potius, blasphemari, contemni & in obliuione apud oēs esse dignus sum. Utinam in tui Sancti nominis gloria quærenda, mei autem obliuione me totum occuparem.

IV.

PERPENDAM quartò: cur petitioni huic, quæ voluit Christus à nobis peti, Dei nomen sanctificari, non adiecerit: Per nos. Causa enim est, quòd nostra petitio desideriumq; nostrum nec intra terminos & limites contineretur, sed sanctissimi eius nominis sanctificatio extenderet se ad oēs tam Angelos, quàm homines; nec ad eos solū qui nūc in terra versantur; sed eas etiam animas quæ vel in cœlo sunt vel in purgatorio; nec ad præsentis tantū, sed ad eos etiam, qui sunt futuri; imò vt creaturæ omnes aspectabilis huius mundi suo vnaquæq; modo laudent, & sanctum eius nomen glorificent, dignissimum est enim, quod ab omnibus glorificetur, & n *omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum* superno Dei nomini & vnigenæ filij eius IESV Saluatoris nostri.

n *Phil. 2. 10*

V.

DENIQVE perpendam, qua ratione nomen hoc tū ego sanctificare debeā, tū illi, pro quibus, vt illud sanctificent, peto. Præcipua enim eius nominis glorificatio in eo est, vt omnes credant, quod ipse reuelat; sperēt, quod ipse promittit, obediant ijs, quæ ipse iubet; adorent verò & seruiant sicut ipse præscribit, ac demum ex toto corde eum diligant, & talis eorum sit vita & talia opera, vt o *qui ea viderint,*

o *Matt. 5. 27*

rint,

rint glorificent Patrem qui in cœlis est. O Pater gloriosissime, per vnici filij tui merita supplico, vt fidei lumen infidelibus omnibus; gratiam tuam & charitatem fidelibus; iustis omnibus feruentem amorem impertiri digneris, quò sanctum nomen tuum ita in terra sanctificent, sicut beati faciunt in cœlo. p Va Rom. 2. 24
mihî per quem & per cuius opera nomen Dei inter gentes blasphematur: Adiuua me Domine, vt ea in posterum talia sint, per quæ nomen tuum glorificetur in secula. Amen:

ADVENIAT REGNUM TVVM. Petitio 3.

CONSIDERANDVM hîc est, quodnam hoc sit *Regnum*, quod petimus aduenire.

PRIMUM, illud Regnum petimus, quo DEVS ipse in iustis regnat per gratiam. Ideo quæ Regnum hoc multa complectitur & in primis fidem quam tenere oportet; Leges gubernationis ipsius, quas obseruare; sacramenta, quæ suscipere; sacrificia, quæ offerre; & virtutes omnes, quibus Regi nostro seruire debemus, animas nostras ad hoc disponentes, vt in eas Rex ipse venire, & inhabitare dignetur: Ac denique illud quod Apostolus, q *Iu- Rom. 14. 17.*
stítiam, Pácem, & Gaudium in Spiritu sancto appellat. O cœli Rex, Veniat tuum hoc Regnũ ad nos, & quotidie veniat cum nouis perfectionis augmentis: Est enim æquissimum, vt tanquam verus legitimusque Rex noster in nobis Regnes, nos gubernas, omnesque tuæ gubernationi subiecti simus.

II.

PETIMVS deinde Regnum æternæ gloriæ, in quo Deus cum Beatis tranquillè regnat; sed non dixit tamen: perduc nos ad tuum Regnum; sed *adueniat ad nos Regnum tuum*: si enim ipsius Regnum ad nos per gratiam peruenierit; certum est nos ab ipso deducendos ad gloriam: Ideoq; maiori nobis curæ prius Regnum esse debet, quàm posterius: omnes enim cum Christo in cælo regnare desiderant, quia omnibus, id est iucundum: nõ tamen æquè oēs optant Deū in ipsis hac in terra regnare, quia molestiam id aliquam adiunctum habet. Sed ego, Rex meus, supplex, vt Regnum tuum veniat, peto; quò in me & omnibus regnes per gratiam: sed & illud peto, vt & *ciuitas illa sancta Hierusalem de cælo descendens* sese nobis manifestet, viuaque fide reuelet, vt visione sua in suum nos amorem accendat, & vt eius habitatores efficiamur, nos ad se perducatur. Vtinam in illud regnū me totum immersum viderem! Vtinam adueniret, & in me ipsum intraret: *s intra me enim esse necesse est*, quod me beatum faciat.

x Apoc. 21.2

s Luc. 17. 21.

III.

TERTIÒ petimus etiam Regnum Dei vltimum & consummatum, quale in nouissimo iudicij die erit, aduenire: cum Dæmonis regnum omninò destruetur; DEVS verò in iustis regnabit, eorum animas & corpora glorificans, vt regnum gloriæ eius in omnibus *compleatur*. O vtinam hoc Regnū adueniret, vt peccatis cessantibus, desiderium impleretur animarum Sanctarū, quæ illud expectant,

t Apoc. 6. 11.

vte

vt eo simul cum corporibus æternum potiantur.

DENIQUE verbum illud TVVM perpendam. Veniat, inquam, Domine, Regnum TVVM, vt quodcunq; tuum non est, destruat: Nec in me u regnum peccati aut Dæmonis amplius dominetur: *sed vt gratia tua per iustitiam regnās* tale regnum destruas, supplex peto. Nec peto, vt huius mundi regnum, quod in diuitiis, honoribus, & voluptatibus eius fundatur; sed tuum, quod in veris virtutibus constructum est, in me regnet. O Saluator dulcissime, qui professus es: *x Regnum tuum non esse de hoc mundo*: Regnum tuum volo, regnum tuum desidero, illud solum peto. Veni ô Trinitas sanctissima, & in nos ipsos intra, inhabita, & regna in nobis, qui terrā incolimus, sicut regnas in sanctis, qui cœlos iam incolunt; vt sicut illi tibi seruiunt, & placent, nos quoque seruiamus. Amen.

IV.

u Rom. 5. 21

x Ioan. 18.

36.

FIAT VOLUNTAS TUA SICVT
sicut in cælo & in terra.

Petitio 3.

CONSIDERANDVM primùm, quænam illa sit VOLUNTAS, quam petimus impleri: diuina videlicet est, legis diuinæ præceptis, Euangelicis consiliis, occultis Spiritus sancti inspirationibus, & Ecclesiæ eiusque ministrorum, ac eorum, qui Dei loco & nomine nobis præsent, ordinationibus expressa. Utinam hanc Dei voluntatem semper exequeremur: satis enim omnibus esse debet, quòd ea Creatori

L

N 3

nostrum

y Psal. 29 6.

nostri sit; vt propterea lubentes eam amplectamur. y *Vita mea*, Deus, in voluntate tua est, vt eam exequar; mors in eiusdem transgressione. Impleam itaque eam, vt viuam; non transgrediar, ne moriar.

II.

z Ioan.

DEINDE verbum TUA perpendam, Deo dicens; nolo Domine propriam meam, quæ peruersa est; nec carnis, quæ aduersus spiritum rebellat; nec Dæmonis, quæ iniusta est; nec mundi, quæ vana, voluntatem sequi, sed tua fiat, quæ sola bona & iusta omnisq; bonæ voluntatis est regula. O dulcis IESU, qui de cælo descendisti, z non vt tuam sed Patris voluntatem faceres, adiuua me gratiâ tuâ, vt in rebus omnibus meâ abnegem & mortificem, eamq; tuæ diuinæ subiiciam.

III.

PERPENDAM tertio modum eandem Dei voluntatem exequendi, qui verbis illis: SICVT IN COELO ET IN TERRA, exprimitur, sicut videlicet Angeli & beati spiritus eam in cælo exequuntur: integrè in primis ita, vt nihil prorsus negligatur; pura deinde intentione Deo ipsi placendi; tertio promptè, velociter, & exactè omnino, absque mora aut repugnantia vlla. Quarto, fortiter & ad finem vsque constanter; Quinto amoris feruentis, continui, intensiq; intuitu, magnam animi voluptatem gaudium & exultationè in Dei voluntate exequenda constituendo. O Pater dulcissime, operæ præmium omnino fuit prius petere, vt adueniret Regnum tuum, & vt cælum tuum ad intima

nostra

stra penetraret; siquidem hoc à nobis exigis, ut in terra constituti vitam nostram sicut qui in ipso cœlo sunt degamus. Utinam cum omni ea perfectione, qua fieri potest, voluntatem tuam exequerem: nolo enim esse parcius in eo desiderando, quod adeo excellenter me iubes à te petere.

PETIMVS denique hic, fieri Dei voluntatem à terrenis hominibus, sicut fit à viris cœlestibus; præ omnibus autē sicut facta fuit ab Adamo ipso cœlesti IESV Christo Domino nostro, qui de cœlo ipso descendit, ut perfectione excellentissimâ diuinam exequeretur voluntatem.

O Pater cœlestis, rationi omninò consentaneum est, ut filij, quos gratiosa tua voluntate genuisti, faciant quod eis iubes, sicut fecit is, quem ex tua genuisti substantia.

aa Doce me facere voluntatem tuam: quia *aa Psal. 142.*
 DEVS meus es tu: cui sit honor & gloria in *10.*
 secula. Amen.

PANEM NOSTRUM QVOTIDIANUM da nobis hodie.

CONSIDERANDVM primùm, quemnam *Petitio 4.*
 hac petitione panē à Deo petamus: non enim quemcunque, sed supersubstantialē & excellentissimum petimus. *I.*
 Primùm, panem illum petimus, qui spiritum nutrit atque corroborat, qui est ipsum Sanctissimum altaris Sacramentum, supplicantes ut nos eius sumendi

dignos efficiat, talesque, qui sacramentaliter quotidie, aut spiritualiter saltem sumere possimus, eiusque fructum & gratias innumeras, quæ in illo communicantur. *bb O panis vita, qui de cælo descendisti pro mundi vita, da teipsum mihi, ut per te & in te, tibi que semper coniunctus viuam. Amen.*

*bb Ioan. 6.
51.*

PETIMVS deinde consuetam animæ nostræ sustentationem, quæ sunt gratiæ auxilia, quibus spiritualis eius vita conseruatur, in quibus numerantur sacramenta, inspirationes, illustrationes, diuinorum mysteriorum intelligentia, panisq; ille, de quo ipse Christus dixit: *ec cibus meus est ut faciam voluntatem eius qui misit me.* O Pater amantissime qui iubes me vitam ducere cœlestem, ita & voluntatem tuam in terra facere, sicut fit in cœlo; impertire mihi duos istos panes cœlestes, quibus ita puram vitam conseruem, donec consequar æternam. Amen.

*cc Ioan. 4.
34.*

PETIMVS denique etiam panem ad corporalem vitam sustentandam necessarium: quia vult ipse ut eam conseruemus, & ut panem ad id ab ipso petamus, non anxiam & superfluam sollicitudine, sed ea confidentiam, quæ de eius prouidentia merito est habenda. In quibus omnibus nobis insinuat, quod finis eius filij, infantesque, qui à sustentatione, quam noster Pater daturus est, dependeamus; sine cuius prouidentia non possemus nostris viribus eam obtinere.

II.

DEINDE considerandum verbum illud

Nos.

NOSTRVM: etsi enim supersubstantialis iste panis verè sit ipsius Dei, quia ab ipse ad nos prouenit, ipse eum pinxit, ac distribuit; vult tamen vt NOSTRVM eum appellemus; quia ad necessitatem nostram reparandam destinatur; & quia Redemptor noster illum pro nobis comparauit, suorumque meritum ius nobis applicauit, vt peteremus; & quoniam promissionis etiam nomine NOSTRVM iam est. Et quoniam diuinus panis diuersis modis pinxitur pro Angelis in cælo atque pro hominibus in terra perfectis & imperfectis, pro omnibus, Domine, panem NOSTRVM peto, naturæ nostræ capacitati que conformè, qui saluti nostræ consequendæ sit utilis. Non peto corporalem alienum panem, nec superfluum, quo minus carni indulgeam; sed panem nostrum, necessitati nostræ debitum, ad vitam traducendam, & in tuo obsequio expendendam.

TERTIO illud etiam verbum QVOTIDIANVM expendam, quasi dicamus Deo: non extraordinariam aut insolitam aut singularem petimus portionem, quam tuis singulariter dilectis amicis impertiri soles, quia eâ indignum me iudico: sed solitam *Quotidianam*, sine qua anima mea nec viuere nec in spiritali sua vita progressum facere potest; nec ipsum corpus subsistere: extra ordinarium alium diuinorum tuorum fauorum panem, diuinæ tuæ prouidentiae, suauisque æternæ tuæ dispositionis ordinationi relinquens.

III.

IV.

dd *Mat. 5.*

44.

Præc. 0. 25.

27.

cc *Ro. 12. 20*

PERPENDAM quartò illud: DA NOBIS: quia non mihi soli sed omnibus hominibus tanquam fratribus, charitate aut naturæ (etiã si alioqui inimici) necessitudine coniunctis petere iubet iuxta illud Christi; dd *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos* vt etiam intelligam. si contingeret me videre ee *inimicum meum esurientem, cibandum illum* esse siquidem hic à Deo panem nostrum qui ipsius etiam est, peto.

V.

ff *Exo. 16. 4*gg *Hab. 3. 13*

DENIQUE & verbum HODIE est perpendendum, neque enim dicit: Da nobis *Hodie & cras*, sed *Hodie* tantum: quia vult Deus, vt quotidie eum petam, & orationem quotidie frequentem; ac intelligam quotidie me ab ipso pendere; vt superfluum crastinæ diei sollicitudinem abijciam: quia fortè non erit mihi dies crastina, sicut constituit Deus Israelitis vt *panes de caelo colligerent, qui sufficerent per singulos dies*, quò semper à prouidentia diuina penderent. Quàuis super substantialem etiam panem pro die hodierno petam, qui, Apostolo teste, gg *Hodie cognominatur* & totum vitæ huius tempus complectitur, quod cum æternitate comparatum, non est nisi diei vnius. O Pater cœlestis da mihi abundanter panem hunc ad diem hodiernum, & in æternum; sed ita tamen vt & viuam, & eo feruore orem in hoc die, atque si nullus alius mihi superesset.

DIMIT.

DIMITTE NOBIS DEBITA NO-
stra, sicut & nos dimittimus, debitoribus
nostris.

Petitio 5.

CONSIDERANDVM primùm, quænam illa
 sint **DEBITA**, quæ nobis dimitti postula-
 mus. Nam in primis peccata sunt lethalia, aut
 venialia, & pœnæ quarum propter illa rei
 sumus: quæ omnia Deus solus dimittere
 potest, sed per eâ media id facit, quæ ip-
 se constituit. Petimus igitur media illa no-
 bis applicari, gratiamque conferri, qua illis
 vtentes, remissionem debitorum consequa-
 mur.

I.

PERPENDAM deinde: quanuis eò sanctita-
 tis quis peruenerit, vt Deum Patrem liceat
 compellare; quanuis eius Regnum illi adue-
 nerit, & eius voluntatem in terra adimplere
 studeat sicut in cœlo, debere tamen se pecca-
 torẽ recognoscere, ac ita de se sentire, quod in
 genere venialiũ peccatorum quotidie impin-
 gat, debitaque propterea quotidie contrahat,
 ob quæ meritò dicere debeat; **DIMITTE NO-**
BIS DEBITA NOSTRA. O Pater benignissime!
 fateor quotidie nõ vno tantũ debito, sed mul-
 tis tibi obstringi, cû sæpius cado; sed tibi Do-
 mine, vt qui fons es misericordiæ cõplacens, dũ
 indulges, siquidẽ iubes, vt dimitti mihi petã,
 & nũc ecce peto, quia ita iubes. concede ergò
 quod peto, qui tibi complacens concedendo.

II.

III.

TERTIO perpendam similiter, quæ illa fiat
debita, quæ proximis ac *debitoribus nostris* di-
 mittimus. sunt enim iniuriæ & offensiones à
 proxi-

proxi-

proximis aliquando nobis illata: quas debeo illis remittere, nec iniuriãtem aut me offendentem odisse, aut vindictam autoritate propria quærere, odijve indicia aliqua, sed charitatis potius consueta signa exhibere. Plenius tamen ille debita dimittere censendus est, qui etiam acceptæ iniuriæ oblitus, singulari eum amore prosequitur & singularia in eundem beneficia confert, à quo iniuria est affectus: quamobrem copiosorem ac liberaliorem etiam à Deo ipse priorum debitorum remissionem obtinebit. Ex quo intelligam, quanto operè Deus cupiat, ut nobis inuicem dimittamus, quæ inuicem debemus: si quidem ea conditione nostra nobis peccata ipse vult dimittere, modò & nos DEBITORIBVS NOSTRIS dimittamus: & quàm ipse cupiat, ut statim nobis mutuò dimittamus, hh *nec sol occidat super iracundiam nostram*, qui in quotidiana nostra precatione repetere nos iubet, quod nostris debitoribus dimittamus. Quod si re ipsa non præsto, ipsemet in me sententiam profero: Dicens enim Deo: dimitte mihi, sicut ego dimitto; si ego non dimittam, re ipsa, quod in me est, dico: nec mihi dimitte. O liberalissime Pater, ex corde omnino debitoribus meis dimitto quod mihi debent; ut tu dimittas mihi quod tibi debeo: certus enim sum, vix mihi ii centum denarios deberi; cum ego decem millia talenta tibi debeam.

hh Ephes. 4.
26.

ii Mat. 18.
24.

NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM. Petitio 6.

PERPENDAM primùm, non dixisse Christum ut à Patre nostro petamus, ne nos tentari permittat; aut ne tentatori facultatem tentandi facias: præsupponit potiùs, nos tentandos, expedireque id à cælesti nostro Patre permitti, & facultatem hosti nostro ad id dari, quam si dederit, ea erit absque omni dubio iusta, nobisque utilis, nostris viribus commensurata: Quare paratos nos esse oportet, ad tolerandas Dæmonis, eiusque ministrorum, qui in hoc mundo viuunt, nostræque propriæ carnis, & propensionum eius tentationes & insultus, sicut supra diximus. Medit. 5. Sed vult Christus, ut gratiam petamus, ne à tentatione vincamur, aut in peccatum aliquod consentientes, tentationi succumbamus: & simul ne idem Deus tale nobis tentationis genus insurgere, aut in tali occasione venire permittat, in qua ipse nos præuidet esse vincendos. O Pater cœlestis, aspice hunc filium tuum in loco tentationis degentem, ex omni parte à multis hostibus oppugnatum: non refugio Deus conflictum, quem tu in bonum meum permittis, sed gratia tua assiste, ut victor euadam: Patri siquidem honori est victoria filij.

SED LIBERANOS A MALO. Petitio 7.

PETIMVS vltima hac petitione, ab omnibus malis liberari, præteritis, præsentibus, & futu-

futu-

futuris; æternis, & temporalibus; animæ &
 corporis, quatenus id ad animæ nostræ bo-
 num conferet. Quare à Deo petimus, à pecca-
 tis præeritis ita liberari, vt gratiâ suâ nobis
 illa remittat, ab ignorantijs, erroribus, animi
 perturbationibus, calamitatibus & miserijs
 quibus nunc vrgemur, eripiat, & à futuris
 præseruet, æterna præcipue damnatione, Dæ-
 monisque, qui *kk Malus* est, potestate: à quo
 potissimùm liberari cupimus, cùm dicimus:
 LIBERA NOS A MALO: quo neque in hac ne-
 que in futura potestatem aliquam in nos ha-
 bere permittatur, aut eius mancipia efficia-
 mur. Quamobrem licebit in hac petitione li-
 tania quasdam instituere eis similes, quas
 habet Ecclesia, exprimendo ea mala, à qui-
 bus peto liberari. Ab omni malo libera nos
 Domine; ab ira tua; à spiritu fornicationis;
 à spiritu superbix, &c. Libera nos Domi-
 ne.

kk Mat. 23.
19.

AMEN.

CONCLVIT Christus præcandi for-
 mulam verbo illo AMEN, quod est *fiat, fiat;*
 quod propterea ingenti affectu desiderio-
 que dicendum est, à Deo obtinendi quod pe-
 ro. *ll Desiderium enim pauperum exaudit Do-*
minus: adiungenda est quoque magna fiducia,
 quod exaudiemur: vt qui ea petamus, quæ
 ipse Dominus petenda præscribit, iuxta ea,
 quæ sanctus Ioannes dicebat: *mm Hac est fi-*
ducia quam habemus ad Deum: quia quod

ll Ps. 9. 38.

mmz Ioan.
9. 14.

cunque

cūque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos: & scimus quoniam habemus petitiones, quas postulamus ab eo: ipse enim docuit nos, quæ ex ipsius voluntate petere debeamus. Doctrina, quam in hoc sermone Christus docuit, de providentia, quam ad subueniendum nostris necessitatibus, nostrasque orationes exaudiendas habet, secundam habet utilissimarum meditationum materiam, quas in sextam partem reservamus.

MEDITATIO XV.
DE APOSTOLORVM AC
 discipulorum ad prædicandum missione.

PUNCTVM I.



CONSIDERA primum: Christum, cum suos discipulos ad prædicandum mitteret per terram Israel, dixisse illis: *a Messis quidem multa operarij autem pauci: Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam, qui eam colligant.* Qua sententia infinitam suam charitatem, misericordiam & desiderium, quo tenetur, nostræ salutis manifestat.

PRIMUM itaque ait: **MESSIS MVLTA**, quia multi sunt, quos ad cœleste regnum destinatos habet;

L

a Mat. 9. 27
 a Luc. 10. 2.